



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De profectu vitæ contemplatiuæ. Cap. LVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

*Incipit processus septimus.*

## CAP. LVII.

**E**T quia de voluntatis profectu supra tractatum est, qui consistit in ordinata affectuū dispositione, in qua attenditur actiue vitæ perfectio; consequenter ad contemplatiue vitæ profectum appropinquare cōsiderationis passibus studeamus: eo quod volentibus in spiritu proficere, istud non inutile videatur.

*De profectu vitæ contemplatiue.*

## CAP. LVIII.

**I**N contemplationis profectu primus status vitæ religiosæ, scilicet processus sapientiae consistit, habens intelligentiæ lumen, & suauitatis internæ saporē. Vnde sapientia, i. sapida scientia. Dictum est autem supra, quod profectus siue perfectio spiritualis vitæ, in tribus principaliter consistit: in rationis illuminatione, in voluntatis rectitudine, in memoriæ iugi circa Deum occupatione. Memoria vt in Deum intendere iugiter assuescat, ei que inhæreat, quinque vias terere & frequentare addiscat, quæ sunt: lectio, collatio, meditatio de Deo, oratio, & contemplatio. Lectio & collatio bonæ sunt, quasi semina & materia meditationis. Vnde qualia vis tibi meditati vel oranti occurrere in cogitatione, talibus colloquiis, lectionibus, aut negotiis prius occupare stude memoriam: quia qualis liquor vasi infunditur, taliter redolebit: & quales herbas in horto cordis tui plantaueris, talia semina germinabūt. Collatio spiritualis instruit intellectum, affectū inflammat, memoriæ bonæ & sanctæ cogitationis prole fecundat. Sicut è conuerso

*Lib. 1. c. 4  
& seq.*

Memoria  
quinque  
modis  
Deo in-  
hære do-  
cetur.

conuerso otiosa fabulatio tempus perdit infructuosè, affectū infrigidat, inutiles cogitationes cordi inserit, conscientiam rodit, profectum spiritualem impedit, pœnam meretur. Lectio talis frequentetur, de qua postea non sit inutile in oratione cogitare, quæ illuminet ad Dei notitiam, accendat ad eius amorem, mores bonos instruat, animet ad tolerandum aduersa, mundi contemptum ingerat, desiderium patriæ cœlestis inferat, doceat discernere inter vitia & virtutes, & vincere tentationes, & alia vtilia ad salutem. Lectionem sæpe interrumpat oratio, sicut & alias actiones: vt sæpe mens ad Deum eleuetur, à quo omne bonum fluere necesse est.

Hieron. epist.  
18 ad Marcellinum  
c. 10. &

*De intentione.*

CAP. LIX.

**I**N T E N T I O nostra aliquādo mouetur pro Deo, aliquādo ad Deū, aliquando in Deum. Pro Deo mouetur in actione, quam pro ipso specialiter facimus, licet de ipso interim nō cogitem⁹. Ad Deū mouetur in lectione & aliqua meditatione, quando de Deo est quod tunc mente versamus, & quodāmodo circa Deum; licet in ipsum quasi ad secundā personā mētis intuitum non dirigamus. In Deum mouetur in oratione, quando mens ipsum cogitat, & ipsum amplectitur, eiūque affectu deuotionis adhæret. Quid autem horum vtilius sit simpliciter, est sciendum quòd illud quod magis vnit hominē cum Deo, scilicet oratio, cum tota beatitudo hominis sit in Deum transformari. Alia tamen, quo ad quid quandoque vtiliora sunt: vt cū propter obedientiā vel charitatem proximi intermittitur oratio, & operibus pietatis insistitur, vel cū discitur in quo magis ad bene placitum Deo seruiatur.